

Utrum rerum omnium unum finalem esse terminum sit viatori evidenter cognitum. Arguitur quod non, quia non est evidenter cognitum rem gravem et levem habere unum finalem terminum, igitur. Consequentia nota, quia res gravis et res levis sunt de numero omnium. Et antecedens patet, quia res gravis tendit deorsum, res levis sursum tanquam ad finalem terminum et non est evidenter notum terminum sursum et deorsum esse eundem terminum cum oppositum sit verum igitur.

Ad oppositum arguitur sic. Intellectui viatoris est evidenter cognitum unam esse materiam omnium, igitur et unum finem. Antecedens patet 1 Phisicorum textu commenti 66. Consequentia nota, quia causa finalis cum sit perfectior materiali non est minus una quam materialis.

Respondeo ad quaestionem ponendo tres conclusiones. Prima conclusio, quod rerum omnium aliquid esse principium primitate eminentie viatori non est evidenter cognitum. Probatur tripliciter. Primo sic: intellectui viatoris non est evidenter cognitum aliquid esse simpliciter infinitum, igitur. Consequentia nota. Quia tale principium primitate eminentie necessario esset infinitum quoniam in se haberet eminenter perfectionem omnium, non solum preteritorum, presentium et futurorum, sed esset possibile, que in nullo sunt (65vb) determinato numero. Sed patet antecedens. Quia si intellectui viatoris esset evidenter cognitum aliquid esse simpliciter infinitum. Aut hoc esset a priori, aut a posteriori. Non a priori, quia tale ens non posset habere aliquid prius se, nec a posteriori, quia hoc esset per effectum infinitum simpliciter, cuius nullus reperiri potest.

Secundo sic: de illo de quo intellectus non est certus quod sit perfectius et nobilius omnibus aliis non potest evidenter cognoscere quod sit primum primitate eminentie. Sed de nullo ente quod sit perfectius et nobilius omnibus aliis entibus potest intellectus evidenter cognoscere, igitur. Maior patet., quia illud esset perfectius et nobilius omnibus aliis. Minor patet, quia intellectus id alicui inesse non cognoscit evidenter quod attribuitur alicui secundum beneplacitum hominum. Sed istud predicatum esse nobilius et perfectius attribuitur sic. Quod patet, res enim que iudicatur secundum iudicium hominum esse bona dicitur perfecta et que melior dicitur perfectior et que mala iudicatur dicitur esse imperfecta, et que peior imperfectior, et cum hoc tale iudicium multotiens decipitur, igitur.

Tertio sic: non videtur maior repugnantia quod in rerum natura sint plura eminentia quam plura generalissima, sed intellectui viatoris non est evidenter cognitum non esse plura generalissima, igitur minor patet, quia oppositum ponitur 4 Metaphisice. Et maior patet, quia sicut generalissimum dicitur super relativum quod uni soli debet convenire, sic et eminentissimum. Et potest confirmari, quia Pater est ens eminentissimum, similiter Filius similiter Spiritus. Non tamen est viatori evidenter cognitum quando sic distinguantur essentialiter.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: accipio unam rem alicuius perfectionis et sit a. Tunc quero aut a in universitate entium est excedens non excessum, aut non. Si sic, habetur propositum. Si non, sit illud a quo a exceditur sit b. Tunc quero: aut b est excedens non excessum. Aut non. Si sic, habetur propositum. Si non, erit processus in infinitum, qui processus viatori evidenter non ponendus cognoscitur.

Secundo sic: species sunt sicut numeri, Igitur in illis est devenire ad unum primum et perfectissimum omnium aliorum. Antecedens patet 8 Methaphisice textu commenti 10.

Tertio sic: viatori est evidenter cognitum quod in entibus est dare aliquod ens perfectionis infinite, igitur et aliquod primum primitate emi- (66ra) nentie. Consequentia nota quia tale infinitum necessario supereminet omnibus. Et antecedens probatur sic, quia species universi vel sunt finite vel infinite. Si finite cum una sit perfectior alia erit devenire ad unum, perfectiorem omnibus. Si infinite, igitur tunc erit dare infinitum in actu.

Respondeo. Ad primum dico quod aliquid potest dici excedens non excessum dupliciter. Unomodo positive, sic quod excedat quodlibet aliud. Alio modo privative sic quod a nullo excedatur. Ex hoc igitur dico ad argumentum quod bene est evidenter notum quod est devenire ad aliquod excedens non excessum privative. Sed quod sit devenire ad aliquod tale positive non est evidenter notum nobis nec quin sint plura aequae perfecta et sic ponendo vitatur processus in infinitum. Nec oportet ponere unum ens eminentissimum quod ceteris emineat in re, nec est ad hoc ratio. Sed contra. Quia si non sit dare aliquod ens positive, sequitur quod non sit dare aliquod primum. Et si sic, igitur nec aliquod postetius, igitur nihil, quia ubi non est primum nec posterius, et ubi non est primum nec posterius, ibi nihil est. Hoc autem esse falsum nobis est evidenter cognitum, igitur. Respondeo quod licet in entibus non esset dare aliquod primum positive posset tamen dari negative scilicet aliquod quo nihil est prius et tale posset habere posterius. Et isto modo bene concedo quod est evidenter nobis cognitum aliquid esse primum. Sed non positive.

Ad secundum dico quod Aristoteles ibi loquitur de speciebus quantum ad diffinitiones, non quantum ad coordinationem. Et ideo proportionaliter, Sicut ablata unitate vel apposita variatur numerus, sic ablato vel apposito aliquo a diffinitione alicuius statim variatur species. Nec ex hoc sequitur quod oporteat ponere primum in speciebus. Vel si quis vellet dicere quod Aristoteles ibidem comparat species ad numeros secundum coordinationem, tunc dico quod licet verbum Aristotelis sit verum, tamen viatori non est evidenter cognitum illud esse verum.

Ad tertium nego antecedens. Ad probationem dico quod species rerum sunt finite. Et cum dicitur quod inter illas oportet dare unam perfectiorem omnibus aliis concedo privative, sed quin sit vel possit esse aliqua alia eque perfecta non est evidenter cognitum vel si illa esset perfectior aliis in aliquo alia tamen posset esse perfectior illa in aliquo alio.

Sed contra, probo, quia est dare aliquod eos imperfectius omnibus aliis., Igitur et aliquod (66rb) aliud perfectius. Antecedens patet de indivisibilibus, scilicet punctis, et in instantibus et mutatis esse. Ad istud negatur secundum aliquos antecedens, qui dicunt quod punctus non dicit aliquid distinctum a linea, nec instans a tempore. Et tunc dicunt quod omnia talia dicunt perfectiorem. Et quando dicitur quod talia sunt indivisibilia, dicunt quod verum est pro tanto, quia dicunt negationem ulterioris protensionis. Aliter potest dici quod talia non dicunt perfectionem, nec imperfectionem. Aliter quod non sequitur sunt indivisibilia, igitur imperfectissima, quia tunc quanto aliquid esset simplicius, esset imperfectius quod est falsum.

Secunda conclusio. Quod aliquod ens esse universaliter perfectum viatori non est evidenter cognitum.

Probatur tripliciter. Primo sic: viatori non est evidenter cognitum aliquod ens esse virtutis infinite. Igitur nec universaliter perfectum. Consequentia patet, quia virtus infinita dicit perfectionem simpliciter. Sed antecedens patet per commentatorem in De substantia orbis, tractatu 2 dicentem quod iste motrices virtutes dato quod sint infinite in tempore, sunt tamen finite in actione. Etiam quia si esset in nobis evidenter cognitum aliquod ens esse virtutis infinite hoc esset per effectum, sed nullus effectus est talis, quia ille esset infinitus.

Secundo sic: viatori non est evidenter cognitum quin aliquod ens sumptum cum alio dicat maiorem perfectionem quam sine illo. Igitur antecedens patet. Quia non est evidenter cognitum nec naturali ratione ostensum quod duo bona coniuncta non faciant maius bonum quam sit quodlibet illorum per se, sicut nec quod totum sit maius sua parte. Sed patet consequentia, quia si duo perfecta insimul copulata dicunt maiorem perfectionem quam quodlibet illorum per se, sequitur quod neutrum illorum dicit omnem perfectionem et sic quod non sit universaliter perfectum.

Tertio sic viator de nullo illato potest esse certus certitudine evidentie nisi sit certus illud illatum esse coniunctum cum suo inferente. Sed si viatori evidenter concludatur quod sit aliquod ens universaliter perfectum hoc concludetur per actionem aliquam sicut per inferens. Igitur oportet viatorem esse certum quod tale ens universaliter perfectum sit unitum cum ista actione. Sed hoc viatori non est evidenter cognitum. Quod patet, quia nullo actio evidenter attribuitur enti perfecto universaliter de qua sit evidenter cognitum quod non possit attribui enti non universaliter perfecto quia talis actio vel esset intellectio, vel aliquis (Sed nobis non apparet quin sit aliqua intellectio que non possit causari ab ente non universaliter perfecto, et similiter de motu, igitur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: viatori est evidenter cognitum tale universale perfectum in sua ratione formali non includetur repugnantiam, nec formalem, nec virtuaalem, igitur est ponendum. Patet consequentia, quia sic sibi est evidenter cognitum quod ad positionem illius nullum sequitur inconveniens. Et antecedens patet, quia ratio entis dicit perfectionem, similiter ratio perfectionis, similiter ratio universalitatis. Igitur non includit repugnantiam si ista in aliquo ente coniungantur.

Secundo sic: viatori est evidenter cognitum illud esse quod a se excludit omnem imperfectionem, sed ens universaliter perfectum a se excludit omnem imperfectionem, igitur. Maior patet, quia non esse est quedam imperfectio, igitur includit contradictionem excludentem a se omnem imperfectionem non esse minor patet. Quia nullum includens aliquam imperfectionem est universaliter perfectum.

Tertio sic: esse partialiter perfectum et totaliter perfectum, vel universaliter perfectum dividunt ens, et evidenter est notum viatori esse multa partialiter perfecta, igitur et esse aliquod universaliter perfectum. Ista consequentia patet, quia si due differentie dividant aliquod unum genus vel commune. Si differentia imperfectior reperiatur in esse multo magis et perfectior. Modo certum est quod esse partialiter perfectum est minoris perfectionis quam esse universaliter perfectum.

Respondeo. Ad primum nego antecedens et consequentiam. Ad cuius evidentiam nota quod nulla propositio affirmativa de inesse est viatori evidenter cognita cuius subiectum non est simplex, similiter et predicatum nisi sit sibi evidenter cognitum partes illius subiecti et predicati adinvicem uniri sicut non potest evidenter esse viatori cognitum aliquam diffinitionem esse bonam de aliquo diffinito nisi sit sibi evidenter cognitum partes diffinitionis in diffinito uniri. Modo cum subiectum illius antecedentis non sit simplex, scilicet quando dicitur ens universaliter perfectum non includere etc. nec sit notum evidenter partes illius uniri, ideo a viatore non est evidenter cognitum. Negatur consequentia, quia non sequitur illud quod est ponendum, igitur evidens est sic esse, nam ponendum est in unitate divine essentie esse trinitatem personarum quod nobis tamen evidens non est, igitur etc.

Ad secundum dico quod maior (66vb) est vera, quia si sit aliquid quod excludit omnem imperfectionem quod sit evidenter cognitum quod non probat, sed supponit et idcirco non concludit.

Ad tertium dico quod utraque differentia est possibilis sub disiunctione scilicet una vel alia. Dico etiam quod ens non habet dividi per universaliter perfectum et partialiter, tanquam per differentias, cum ens non sit genus, licet bene concedatur quod habeat aliquas passiones cum eo convertibiles sub disiunctione. Dico etiam quod, licet ita de facto sit quod perfectio simpliciter et partialiter sint tales passiones entis convertibiles cum ipso sub disiunctione, non tamen est viatori evidenter cognitum sic esse licet bene credamus firmiter sic esse.

Tertia conclusio est quod rerum omnium unum esse finalem terminum viatori non est evidenter cognitum. Probatur tripliciter. Primo sic: deum esse unum viatori non est evidenter cognitum, igitur. Consequentia patet. Quia si essentia aliquis finis omnium ille non posset esse nisi Deus. Et antecedens patet, tum quia Deum esse est fide creditum, tum quia hoc non potest esse evidenter cognitum a priori, nec a posteriori, quia nullum effectum videmus in universo quin illum non posse procedere ab aliquo ente finito sit evidenter cognitum.

Secundo sic: non est viatori evidenter cognitum quod agens naturale agat propter aliquem finem, igitur. Consequentia nota, quia oppositum consequentis infert oppositum antecedentis sed patet antecedens quia non est evidenter cognitum qui agens naturale approximato passo circumscripto quocumque alio sit causa sufficiens sue actionis absque eo quod intendat aliquem finem patet per Commentatorem, 1 Phisicorum dicentem quod pluvia descendit non ut fructum augeat quia hoc sibi accidit immo quia est corpus grave.

Tertio sic: non est viatori evidenter cognitum creaturam rationalem habere aliquem unum finem, igitur. Consequentia nota ut prius. Sed patet antecedens, quia alias esset sibi evidenter cognitum quod aliquid aliud a se plus quam se ipsum haberet diligere scilicet illum finem, sed hoc est falsum quia creatura rationalis naturali appetitu plus appetit se quam aliquid aliud a se. Vel ad minus oppositum non est evidenter cognitum viatori, sed apparet consequentia, quia evidenter (67ra) cognitum est semper finem esse magis diligendum quam illa que sunt a finem.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo contra primum argumentum probando quod evidenter sit cognitum Deum esse et per consequens unum finem omnium arguitur sic: Illud est viatori evidenter cognitum esse quod non potest cogitari non esse, sed Deus est huiusmodi, igitur. Probatur minor per Anselmum contra insipientem qui *dixit in corde suo non est Deus*. Iste insipiens cum audit illud quo maius cogitari non potest intelligit quod audit. Et omne quod intelligitur est in intellectu. Aut igitur in solo intellectu, et sic omne quod est in re maius est illo, et sic non est quo maius cogitari non potest, Aut illud non solum est in intellectu sed etiam in re, et habetur propositum, et sic concludit illud quod in re est illud quo maius cogitari non potest, et illud non potest cogitari non esse.

Secundo arguitur contra secundum argumentum, scilicet quod viatori sit evidenter cognitum naturam propter finem agere. Hoc namque probat Philosophus 2 Phisicorum textu commenti 80 multipliciter.

Primo sic: ubi est dare ultimum omnium illud est finis eorum. Sic est in naturalibus, quia illud est gratia cuius omnia alia fiunt, quia omnia agunt secundum quod sunt apta nata agi, sed omnia sunt apta nata agi, propter ultimum. Patet in artibus, quia ars imitatur naturam.

Secundo sic ars agit propter finem igitur et natura. Antecedens patet per experientiam. Consequentia patet, quia ars imitatur naturam.

Tertio sic: aliqua animalia puta aranea, formica et huiusmodi agunt propter finem. Igitur et natura. Consequentia patet, quia hoc solum faciunt instinctu nature.

Quarto sic: in naturalibus est dare materiam et formam. Igitur et actionem propter finem. Patet consequentia. Quia forma est finis materie.

Quinto sic: in quibuscumque est recte et non recte agere, ibi est agere propter finem, sed in natura est recte et non recte agere, igitur. Patet minor, quia tunc solum dicitur actio recta quando habetur finis intentus illius actionis et non recta quando non habetur. Et minor patet quoniam sicut in arte sunt multi defectus, ut patet de illo quod non recte scripsit, et de medico quod non recta potione curavit, similiter sic est in naturalibus quod ibi sunt multa monstra et peccata.

Sexto sic: quia de qualibet re naturali respondetur ad interrogationem factam propter quid. Igitur in quamlibet est finis. Patet antecedens, quia si queratur de gravi quare (67rb) descendit respondetur, ut salvetur.

Item commentator 2 Phisicorum dicit quod qui negat naturam agere propter finem negat agens et materiam et formam.

Tertio principaliter arguitur, scilicet quod viatori sit evidenter cognitum quod aliquid aliud a se plusquam se habeat diligere. Arguitur sic: viatori est evidenter cognitum, quia res carentes ratione plus naturaliter appetunt alterius esse quam ipsorum esse proprium. Igitur et quod ipse utentes ratione hoc debent facere. Consequentia nota, quia ratio non absolvit hominem ab illo debito, immo ipsum magis obligat, sed patet antecedens in multis experienciis nam pater et mater in irrationalibus exponunt se morti pro fetus ipsorum, sicut apparet de pelicano. Igitur magis appetunt esse fetus quam suum.

Secundo apparet quia pars minus principalis in homine exponit se pro parte magis principali, ut brachium pro defensione capitis. Igitur brachium magis appetit esse capitis quam suum.

Tertio apparet: quod qua naturaliter recedit a dispositione naturali et loco proprio, ut vitet in dispositionem universi, scilicet ut vitet vacuum ascendit sursum, sicut patet de candela accensa posita in vase pleno aqua cohopta per urinale, ita quod horificium urinalis sit inferius attingens aquam, tunc aqua naturaliter ascendit et extinguit candelam et hoc solum, ut vitet vacuum.

Respondeo. Ad primum dicitur quod argumentum Anselmi nihil evidenter probat, quia per simile argumentum probaretur quod quodlibet fictivum ab intellectu sit in re extra sicut si intellectus fingat quod sit una formica sapientissima docens omnem scientiam, nam cum talis formica nominatur ab audiente intelligitur et omne quod intelligitur est in intellectu, aut igitur in solo intellectu et sic omnis formica existens in re est perfectior illa aut in re. Et habetur propositum, et sic dico quod Deus potest cogitari non esse, nec oppositum evidenter concludit argumentum Anselmi.

Ad secundum dico quod verum est naturam agere propter finem et quod omnes rationes philosophi concludunt verum et cum hoc stat quod illud verum non sit viatori evidenter cognitum, quia rationes ille si ponatur in forma sillogistica semper assumunt aliquid quod non est evidenter cognitum, ut patet per omnes illas discurrendo. Dico quod posito quod sit evidenter cognitum naturam agere propter finem, non tamen sequitur quod sit evidens omnium

esse unum finem, quia (67va) non est evidenter cognitum, quod non sit plures fines, sicut quod non sint diverse actiones et nature conditiones.

Ad tertium, negatur antecedens. Ad probationem, dico ad illas experientias. Ad primum, dico quod pater et mater in irrationabilibus non appetunt mori ut vitent mortem fetus sui, sed bene se exponunt pro fetu, ut ipsum eruant a periculo credentes se ipsos et fetum a periculo liberare non quod intendant mori pro fetu, quod patet ex hoc quia si multum infestentur dimittunt omnino fetum.

Ad secundam dico quod pars minus principalis in homine non exponit se ipsam pro parte magis principali, sed ipse homo ipsam exponit voluntatis imperio cui pars minus principalis contradicere non potest.

Ad tertiam dico quod ille motus aque sursum non est motus naturalis aque, sed violentus factus a natura universi, que magis appetit bene esse totius universi quam bene esse ipsius aque precise.

Ad argumentum primum in principio qui factum ad oppositum. Nego antecedens et consequentiam. Ad probationem, dico quod non sequitur finis est perfectior materia et materia est una. Igitur et finis est unus, sicut non sequitur homo est perfectior sole, et sol est unus. Igitur et homo etc.